



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Abbate, qui sedens in equo superbo, Frederico regi Romonarum  
propinquare non potuit, cap. 14

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

quòd domus vestra pauper sit: nam corium ibi carum est. De quo verbo valde confusus est Abbas: **APOLLONIVS**: Meritò superbia confunditur.

## CAPVT XIV.

## CAESARIVS.

**A**Nno præterito, Abbas quidam de ordine nostro, bene notus mihi, cum occurreret Frederico regi Romanorum, qui auunculo suo Philippo successit in Imperio, habens cum illo loqui aliquid, ita cepit equus eius hinnire, lasciuire, & in saltus se dare, ut Regi, in equo satis mansuetò sedenti, nullo nisu posset propinquare. **APOLLONIVS**: Quid putas tantum Principem tunc cogitasse? **CAESARIVS**: puto illum non modicè fuisse scandalizatū, nā simile ei in equo eodē contigit mecum, & ego scandalizatus fui in eo propter equū. Recedens verò à Rege cum multa erubescencia, equo illo effreni uti noluit de cætero. Abbas iste homo erat senex, simplex, satisque humilis ac disciplinatus, licet in hac equitatura minùs fuisset circumspectus. **APOLLONIVS**: Quod iuste in religiosis secularibus displicet; Deo placere non potest. **CAESARIVS**: Verum dicis, quia Deo debemus conscientiam, hominibus famam. Omnibus Christianis dicitur à Christo: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Ut enim taceam de scandalo sæcularium in superbia religiosorum, cum Iudæi & pagani superbiam vel signa superbiæ vident in Christianis, religionem Christianam horrent, & blasphematur nomen Christi per eos. De hoc tibi verba cuiusdam Saraceni referam memoria valde dignissima.

*Mat. 11.*

## CAPVT XV.

**F**Rater Wilhelmus, aliquando camerarius noster, ante conuersionem canonicus fuerat apud Traiectum inferius: hic tempore adolescentiæ suæ signatus cruce, gratia dominici sepulchri transfretauit. Antequam nauis, in qua erat, portum Achonis attigisset, ignem facularum ante ortum auroræ circa ciuitatem in diuersis locis tam ipse quam ceteri viderunt:

*Vita  
Christia-  
norum  
scanda-  
lizat in-  
fideles.*